



DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

De
V I T A.

Quam
IN ALMA REGIA ET ELECTORALI
FRIDERICIANA

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO.

**DN. FRIDERICO
WILHELMO,**

REGNI BORUSSIAE ET ELECTORATVS
BRANDENBURGICI HEREDE, &c. &c.

P R A E S I D E

DN. GEORGIO ERNESTO STAHLIO,
MED. D. ET PROF. PUBL. ORD. h. t. ACADEM.
PRO-RECTORE ET FACULT. DECANO,

PRO LICENTIA,

Summos in ARTE MEDICA Honores
& Privilegia Doctoralia adipiscendi,

Ad d. April. Anno M DCCI, Horis anto- & pomeridianis,

Publicae Eruditorum disquisitioni submittet

GEORGIUS WILHELMUS BEYERUS,
Jenensis.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
Typis Johannis Jacobi Krebsii, Acad. Typogr.

V I R I S

Magnificis, Nobilissimis, Excellentis-
simis, atque Experientissimis Dominis,

DN. GEORGIO ERNE-
STO STAHL,

MED. D. ET PROF. PVBL. ORD. h. t. ACA-
DEM. PRO-RECTORI, ET FACULT.
DECANO SPECTATISSIMO,

DN. FRIDERICO
HOFFMANNO,

D. MED. & PHIL. NAT. PROF. P. CELE-
BERRIMO MEDICO REGIO ET ELE-
CTORALI AULICO GRAVISSIMO,

PATRONIS & FAUTORIBUS

suis omni & maximo cultu prosequendis.

Hanc de Vita inauguralem Dissertationem

D. D. D.

G. W. Beyerus.

VIRI maxime & summè Venerandi,

Vitam equidem post Deum parentibus nos debere, qui negaret; ego facile scio neminem, & si quis hoc vellet impugnare, vita eum plane destitui, hoc est, mortuum omnino esse, censeo. Quid autem hæc sine literis & rerum cognitione vita, nisi mortis imago? oculi non vident, nisi animo, hoc est, mentis animique oculis quis probe sit instructus. Sic nemo vivit, nisi vitam & Spiritus ex ipsis literis harumque cultura hauserit. Quare recte quidem dicitur, nos vitam a parentibus, bene vivere non nisi à morum & studiorum formatoribus accepisse, quorum primum maximum omnino est, sed postremum hoc etiam majus. E quibus, quantum VOBIS, VIRI EXCELLENTISSIMI debeam, nemo non sua sponte colliget, aut qui nolit id ipsum colligere, eum ab invidiæ labe non penitus alienum esse arbitror. Et hoc etiam in causâ fuit, quod hanc de VITA Inauguralem Dissertationem VOBIS, vitæ & literarum formatoribus sacram esse jufferim. Quam si vestro adfectu dignam censebitis, vitam meam hoc ipso multo beatiorem efficietis. Faxit Deus Opt. ut VOBIS, quibus vitæ meæ cura fuit maxima, nova indies vitæ & felicitatis incrementa addat longe in seculâ duratura! Valet Viri Maximi, & rem Vestram ex animi sententiâ agite.

Halæ Magd. d. VII. Id. April. ANNO. c18 DCCI.



PROOEMIUM.



Uperfluas & usu aliquo, nedum insigni, carentes speculationes, a doctrina medica abesse debere, nos ipsi certe, si quisquam, urgere solemus; at vero, quæ non modo ad veritatem physiologicam, sed plane ad intellectum, imo vero usum practicum pertinent, tantum abest, ut reprobemus, ut potius nos ipsi viam reperire laboremus ad intellectum meliorem, & veros conceptus de his negotiis formandos. Est inter hujusmodi. theoremata utique non modo non postremum, sed tam ordine quam dignitate vix non primum, consideratio illa, a quo Agente seu Motus vitales in corpore peragantur; Quomodo, quibus mediis, actibus & successibus, peragantur, & quidnam proprie sint, sive in quibus formalibus circumstantiis consistant. Videtur nobis hoc negotium tractatu tanto dignius; quia si rem, uti revera est, edisserere integrum sit, certe hactenus vix apud quenquam unum quæstiones has expressa thesi dilucide determinatas offendimus, cum tamen adeo frequentis usus totum hoc negotium existat, ut fere ubilibet; mixtionis seu craseos vitalis, temperamenti vivi, influxus vitalis, virium & vigoris vitalis, veluti quotidiana mentio occurrat. Et cum antiquioribus præsertim, utique differentia qualitatum corporis animalis quatenus mixti, & quatenus vivi, subinde in ore fuerit, cum quidem qualitates ejus ut mixti, ab iisdem ut vivi qualitativibus hinc inde solenniter distingui siveverint, videtur certe tum per se tum ad meliorem intellectum traditionis illius apud veteres tam sæpe occurrentis, res hæc altiore indagine digna existere. Assumimus itaque eandem pro Dissertationis Inauguralis themate; Tractationem ita maxime suscepturi, ut non æque in conquirendis antiquorum circa hoc negotium traditionibus,

& laboriosè, imo propemodum divinando, inde eruendis opinionibus atque placitis, tempus atque operam insumpturi sumus: sed magis positivè pensitaturi, quid veri hic subsit, & quid de hoc negotio bono jure non modo quæri, sed etiam definiri debeat atque possit. Invocamus vero ad hoc nostrum propositum Divinam præcipuè gratiam, ut vires nobis largiatur, ad recte perspiciendum, & commode definiendum quicquid in rem nostram ex usu esse apparebit.

CAPUT I.

*De Actu, sive Facultate Veteribus dicta,
Vitali, in genere.*

Frequentissimum est antiquis in suâ theoriâ vocabulum FACULTATIS VITALIS; Ubi quidem *Facultatis* nomine usi maximè fuerunt, nescio an non superflua quadam *angustia* præsertim si negotium *strictè* dictum *vitale*, in naturali statu respiciamus: quia nempe, si vel maxime non continuo & incessabili *actu*, jugiter exerceatur, *possit* tamen temper exerceri, vel ad minimum, ablato si quod obtigerat impedimento, denuò suscipi atque perpetrari. Quale quid v. g. in *lipothymia* evenire arbitrati sunt; ubi, licet veluti omnes, aut plerique ad minimum præcipui *vitales* actus, *respiratio*, *pulsus*, *calor*, quoad ipsum *actum* aliquandiu omittantur, *potentia* nihilo secius ita remaneat, ut postliminio reassumi, atque adeò *facultas* seu potentia, denuò in *actum* deduci queat.

Sub actu *vitali*, hoc *in genere* intellecto, comprehendunt *vitam* strictiore sensu dictam & *nutritionem*. Aliqui melius rem exprimi putant vocabulo *Vegetationis*: Unde etiam *animam*, si-ve *agens* illud, cui hos effectus adscribunt, *vegetativam* appellare consueverunt.

Quamvis autem hac ipsa assertione, minimè utique in concinne vel ineptè agant; Siquidem ita omninò est, quod *Vita strictè* dicta, æque ac *Nutritio* videantur ab uno principio vel propterea pendere, quoniam circâ eandem rem, licet non

eodem modo, versantur. Adum, quas partes corporis *nutritio*, & conveniente *materia*, concinnat atque efformat, has *Vita* ad minimum in *materiali* suo bono ac legitimo statu, in mixtione nempe sua, conservat: Licet inquam, hoc universum ita rectè sese habeat, non dilucescit tamen inde propriè & *formaliter* quid nam de *Vita* strictè dicta, & quasi seorsim, deinde sentiendum sit. Sicut enim descriptio illa: *Vitalis facultas est qua consistit in vita & nutritione*: nullum *formalem* conceptum, sed *materialem* tantum, involvere apparet, aut *instrumentalem*; pro vario considerandi modo: Ita suppeditat certè tantò minus ullam lucem, ad specialioris illius rei, quam sub se comprehendere dicitur, nempe *vite* strictè dictæ, indolem atque essentialiam comprehendendam.

Profectò, nisi admodum fallimur, impedivit viros optimos ipsa hæc difficultas, nempe quod minus perspicue dilucesceret quid nam ipsa *Vita* strictè dicta, *formaliter* existat, quo minus totius etiam *actus vitalis* dilucidum formalem conceptum assequi valerent: Quem nempe nostro concipiendi modo arbitramur in eo versari ut corpus humanum cum omnibus suis membris, partibus, imò minimis quibuslibet particulis, e conveniente specialissima materia formetur atque fabricetur, quod *actu nutritionis* peragitur: Et in hac sua constitutione, ita integrum & intemeratum *servetur*, ne facile *corrumpi*, & dissolvi queat, præcipue ita intime, & velut ex universo suo fundamento, uti fit, si *putredinoso-fermentativa* corruptione ita resolvatur, uti mixtio ejus velut immediatè infert atque admittit. Sicut hæc assertio ex dicendis pluribus dilucescet.

CAPUT II.

De Mixtione Corporis Animalis.

Non satis apte certe veteres *mixtionem* corporis animalis, & naturalium quorumlibet, deduxerunt ab ipsis quatuor *elementis*; materia nempe longe *remotissima*, ac veluti ultimà, negligentes longe *propinquiores* illas, equi

quibus ad omnem sensum, *immediate* mixta hæc coalescunt: quorum ad minimum propius - specialem indolem percipere licet, si utique *specialissimam* penitus attingere nequeamus.

Videntur sane in idem rete pedem quoque intrulisse nostri recentiores, in Physica sua historia; quando primordia variorum corporum, veluti *immediate* in corpusculis *certe figura* quarunt. Quos tamen ut nonnihil sublevemus, suppeditabimus modum, quo assertionem suam quadantenus salvare possint: Ut nempe dicant, se de certa illa ratione *figura* loqui, ut de ratione *formali* ad certum effectum præstandum: Pro conceptu vero *materiali*, mixtionis nempe corporum horum, supponere utique propiores illas *substantias* quæ *Chymicorum* præprimis experimentorum ope ex iisdem elici atque demonstrari possint: E quarum inter se variè combinatorum formato novo *ambitu*, demum resultet illa nova *figura*, quæ *specialissimorum effectuum* immediata causa sit &c.

Sunt vero hac exactiore considerandi methodo, principia corporis humani potius (1) subtilis quædam *terra* (2) satis tener quidam *mucus* (3) *pinguedo* aliqua.

Quamvis enim vere & veluti exactissime loquendo, ipsemet *mucus* jam sit *mixtum* quoddam, e subtilissima *terrea* substantia, & *pinguedine*; reverà tamen in negotio *mixtionis* animalis, apparet, hic *mucus*, quantumcunque etiam jam mixtus, sive ut vocant, *principiatus*, *principium* tamen quoddam constituere; ita, ut illa *pinguedo*, de qua tanquam principio hic mentionem fecimus, *muco* huic, (licet in sua propria mixtione de *pinguedine* intimius immixta, jam participant) demum super accrescendo, varia proportione variarum partium specialem mixtionem constituat atque formet: si quidem, ut mox dicetur, diversæ partes, non modo *structure* verum etiam *subinde mixtionis* proportione, inter se differunt. Caterùm si secundum gradus mixtionis, philosophicà verà *diagnosticè* distinguere vellemus, esset eo ipso sensû crasis hæc animalis, *com-*
posi-

positio potius, quam *mixtio* appellanda: de quo negotio, atque differentia solubilitatis quoque promprioris in composito, difficilioris in mixto, monita sunt quaedam à D. Præside, in schediasmatibus menstruis, Mense *Julio* p. 9. 10.

Sicuti verò dictæ illæ materiæ, constituunt vera principia *materialia* mixtionis animalis; ita præmonet tamen veluti earundem inter se mutuo discrepantia, quod *cohesio* illorum, nulla firma atque illibata fieri possit, quamdiu *humiditatem*, velut essentialiter (quod fit in *mucositate*) in consortium suum admittere, atque cum illa concurrere, necesse habent.

Certè enim *humiditas aquea*, est primum instrumentum fermentationis; quatenus videlicet motu suæ fluiditatis, *sulphurea* corpuscula agilissima, non modo commovet atque agitat: sed etiam à segnioribus *terreis* denique dimovet: & collabascens his in crassiores moleculas (ac proinde motui non æque amplius obedientibus, atque sic ad fundum subsidentibus) sulphureas seorsim fortiter exagitat atque tum hinc inde, tum sursum, projicit, &c.

Verbo, in quieto firmo nexu illa inter se non relinquit, nisi *sal* quoddam firmiorem copulam patriverit, & materia terrea, cum sulphure illo connexa, & paucissima fuerit & subtilissima.

Quale quid cum in animali mixtionè non occurrat, sed potius satis crassa terrea atque mucida substantia præstò sit, tanto minus proinde mirum est, si neque unio satis intima inde nascatur, neque nexum satis firmum servet, sed perpetuo illo humiditatis consortio atque fluxu, jugi successu iterum divellatur atque resolvatur.

CAPUT. III.

De Specie corruptionis mixtionis Animalis evenientis.

Quemadmodum nimis generalis consideratio negotii *fermentationis*, necessariam evidentiam differentiæ ejusdem, variis modis turbavit; Ita maximam penitus turbationem, intu-

etiam in Doctrinam tam *physiologicam*, quam *pathologicam*, Medicam: Dum enim & *formale* ejusdem, (imo etiam verum *materiale*) & differentia, non sufficienter definiuntur atque distinguuntur, prodit hinc confusio inter fermentationem *in genere* sumptam, & in *specie* certa determinata acceptam, nempe *panariam* atque *vinariam*: quo errore demum haec *species* fermentationis subalterna, pro absoluto quodam *genere* inconvenienter assumpta atque supposita, *putrefactioni* quasi absolute contradistincta habetur: cum tamen non modo reliquis causis, atque tota penitus *forma*, conveniant, sed ipsa etiam *materiali* causa ita plane coincidunt, ut in *fermentatione* hoc sensu sumpta, omnia omnino sint, quae in *putrefactione*, nisi quod *salina acida* substantia copiosa, in *fermentatione* emineat, quae in *putrefactione*, vel plane nulla, vel non nisi paucissima praesto est. Quod latius deducit D. D. Praeses in *Zymotechnia fundamentali*.

Unde certe rebus ita constitutis, cum in mixtione animali, materia quidem fermentativo motui maximè subjecta, nempe *sulphureo-mucida* atque *terrea*, veluti luxuriat; *acida* vero, praecipue essentialis & immixta, nulla compareat: diluescit hinc affatim, quod animalis mixtio, *fermentationi* strictae atque specificae nullatenus proportionata existat, optimè vero quadrat *putrefactioni*.

Exerit sese hoc etiam quibuslibet datis occasionibus; praecipue quidem, si partes corporis quaecunque, praeter omnibus tamen eminenter ipse sanguis, influxu motus vitalis privatae, externis illis fermentationis adminiculis atque stimulis, temperato inquam *calori*, permittuntur, ubi nihil promptius, quam pura nuda *putrefactio* sese citò in sinuat ac praevalede non magis invalescit, quam insolescit. Imo vero contingit hoc etiam in ipso omnino corpore de reliquo vivo, ut si alicubi sive sanguis (& hic quidem praecipue) sive alia aliqua pars, influxu *motus vitalis* priveretur, & perfecte quidem; tunc statim *putredinosa* corruptio sive *sphaelus*, immediatè subsequatur. Quae res
uti

uti à priori, ratione partium mixtionem corporis constituentium: & posteriori, ratione ipsius eventus, undiquaque simplicissima veritatis dilucescit: Ita expedit facile animum attentum atque circumspectum, à supervacuis, & nullâ neque à priori, nec à posteriori evidentia nitentibus, variarum *falsedinum* in corpore generationibus, præsertim aliunde, quam à solis in corpus demum assumpris, petendis atque deducendis.

CAPUT IV.

*De Efficacia Putredinis, augmentativa
& progressiva.*

Quemadmodum omnium *fermentationum*, ita *putredinis* etiam, tanquam præcipuæ speciei, indoles est admodum *progressiva* & *augmentativa*, ut nimirum brevi tempore, velut ab uno centro, longe latequè sese diffundat, & materiam aptam contiguam, eodem corruptivo motu intestino, corripiat atque corrumpat.

Quamvis enim præcipuus omnis fermentativi *intestini* motus, nervus velut atque energia, consistat in motu *immanente*; in certo nempè loco quasi detentis corpusculis illis, quæ vehementissimo motu, ut vulgò dicitur *verticillari*, velut ego non improbabile censeo, *Vibrativo reciproco*, maxime gaudeant: Et multiplici progressiva projectione potius in propria sua, sive *verticillari*, sive *reciproca vibrativa* motitatione, sub progressu undulatorio, aut minis æquali & lineari, turbentur: habet sese tamen negotium haut paulo aliter in transitu & vehementi allisione hujus generis materiæ, per arctos meatus solidorum corporum, ubi sub ipso affricu transitu, motus ille velut incitatur atque exacerbatur, ut ita talis *progressus*, *proprie* & nudæ agilitati atque *activitati* hujus generis materiæ, nihil quicquam, aut minimum sanè, deroger atque detrahat.

Unde quidem, præprimis in sanguine, hoc notandum est, quod equidem, quamdiu circulus ejus, & actualis progressus, satis liberè succedit, efficacia *putredinosa* - *corruptiva* non adeo

liberrimam energiam obtineat & exerere possit, interim tamen utique sic satis liberam: Adeò, ut nisi ipsa illa materia ipsa et commota, & commotionem ulterius proferens, *diffundens*, atque communicans, actu successivè è massa sanguinea, imò ex universo corpore ejiciatur, adeoque à contactu & commercio reliquæ ejusmodi corruptibilis materiæ, prorsus auferatur: quod, inquam, tunc non cesset, pessimos suos effectus, licet aliquando segniùs, certo tamen, & indubio effectù, exerere atque diffundere.

Adeò, ut pro avertendâ efficacia *actualis* hujusmodi corruptionis, serius ocyùs perficiendâ, nihil magis certum, imò verò necessarium, sit, quàm materiam illam, quæ jam in *actu* corruptivæ talis commotionis constituta est, prorsus à commercio reliquæ *corruptibilis* materiæ, imò ex universo corpore, tempestivè *expellere*.

Ubi simul notandum utique est, quod universum corpus, in omnibus sui partibus & particulis, ex ejusmodi materia confect, quæ corruptionibus hujus generis obnoxia sit: quamvis diversa quantitate de eadem, quæ motui *putredinoso* quasi primò & primariò subjacet, participet: adeoque non tam in genere, quam solum in *gradu* & promptitudine, corruptioni illi minus obnoxia existat. Ut adeò nullum certius & efficacius sit remedium, universum corpus, tantò magis verò partes ejus *corruptibiliores*, quæ tamen per universum corpus undiquaque diffunduntur, ab universo hoc periculo liberandi, quam tempestiva materiæ actui corruptionis proxima, eliminatio & emotio ex universo corpore.

CAPUT. V.

De Materiali Habitu & consistentia corruptibilis materiæ in corpore, tam in se, quam in ordine ad excretionem.

Materia corruptioni putredinosæ primariò apta in corporis animalis mixtione, est *sulphurea*, proxima hinc, *mucida*:
Ipso

Ipsò vero actù, nempe intensissimo *intestino motu putrefactionis*, extenuatur hæc maximam partem, in consistentiam *halitusosam vaporosam, & salino-sulphuream*. Ubi neminem mirari convenit, quod cum *Beberis* salia è *terris* summè attenuatis, & cum aqua intime remixtis, prognasci asseramus: Cum experientia vulgatissima testetur, *salia* manifestissima, acerrima, v.g. *acetum* acerrimum, putredine ita aboleri & in inspidam, omni actuali salsedine privatam terrestitatam converti, è qua nulla prorsus indoles *scilicet* amplius obtineri aut demonstrari valeat.

Hujusmodi consistentiæ atque texturæ materia, sicut ratione suæ *tenuitatis*, & inter quam ita libere atque perpetuo fluctuat, abundantis per corpus animale *humiditatis*, ad promptissimam quaquaversum evagationem, summoperè apta atque disposita est: Ita haberet etiam eo ipso, liberrimam occasionem, omnibus reliquis corporis partibus, pro diversâ singularum receptivitate, variis modis nocendi; Nisi simul ad emotionem & excretionem, eadem hæc suâ conditione habilis reddita, hoc ipso remedio hinc inde maturè, & antequam potentiam suam in actum deduxerit, eliminaretur, atque per varia emunctoria evacuetur.

Consistentia videlicet ipsius *salino-sulphurea*, imò generalius, *tenuitas* insignis, quæ indolem hanc veluti format, atque in format, est simul hoc ipso maxime prompta atque proportionata ad perreptandos angustiores quoquè meatus, quales nempe sunt *colatoriorum* atque *secretoriorum* viscerum & membrorum; & hoc tantò magis, una cum ipsis illis tenuibus *aqueosis* humoribus, qui etiam velut ordinariè, præcipuè sub *potu*, assumpti, nihil nisi vehiculorum vicem in corpore sustinentes, successivè per ipsa hæc colatoria ad exitum iterum separantur, & denique penitus per emunctoria evacuantur.

Ut adeò hæc materiæ, *salino-sulphureæ* consistentiæ, simul atque è nexu *mixtionis* avulsæ sunt, etiam antequam insignem gradum tenuitatis, adeoque *agilitatis* & *activitatis* salino-sulph-



phureæ nasciscantur, (quod diuturniore *immanente* vehementi *motu* atque attritu contingit) mox & mature excretionem ita subeant, & à consortio reliquæ massæ *humorum*, imo universi corporis, ita proscribantur.

Quamvis autem hæc materialis quoque constitutio, excretionis motui ita proportionata atque aptata sit, non tamen fit ita nudâ *mechanicâ* ratione, veluti purè passivè, ut dum in genere motu impellitur, & fortuitò ad secretoria loca atque organa appellitur, quasi necessitate quadam ibidem elabatur. Cum enim moderamen *motus tonici*, non solum in ipsis locis, secretioni atque excretioni tali dicatis atque aptatis, irrefragabile existat; sed tantò magis, concursus illius à reliquis universis, vel etiam certis, regionibus atque partibus corporis, versus illas specialiores, quæ *secretionibus* atque *excretionibus* his directo dicata sunt, multis evidentibus circumstantiis satis manifesto conspicuam se reddat: Ita ut vel in quotidiana diæta notissimum sit, non modo alium hominem præ reliquis, sed ipsum illum unum eundemque, uno tempore præ altero, à *potu* paulo largiore, non tam in genere *urine* quoque largiorem proventum experiri, sed in specie *simultaneum*, & brevissimo penitus post assumptionem tempore: Ita ut manifestò inde elucescat *specialis* plane, tam brevi tempore adèd copiosè facta, *directa* collectio atque *appressio*, quæ sola effectui ejusmodi perpetrando apta & sufficiens esse possit.

Quod quidem tanto magis valet, & proinde tantò luculentius dignosci potest, in *secretionum* & *excretionum* talium, extra-ordinariis moliminibus; quando videlicet materia hujusmodi in corpore alicubi prævalens, breviori tempore copiosorem sui emotionem requirit: ubi specialissimos illos *directiorum* talium motuum, per *paroxysmos*, & non modò dies, sed *horas* omninò, *criticas*, typos, generalissimis purè *mechanicis* progressionibus, sine *organicis directionibus*, reverà sic fieri, illis credendum relinquimus, quibus talia demonstrationum vim habe.



habere videntur, adeoque uti per *rationem* contrarium persuadere non poterimus, ita secundum rationem, ne quidem studemus aut laboramus.

Tanto magis vero illud in confesso est, quod, cum utique corpus humanum, propter ipsius *animæ rationalis* usum & potentiam suam in actum, & hunc in habitum, deducendum, diutius durare debeat: quod inquam necessitatis moralis sit, ut noxia illa materia, tam præservative, antequam in actum deducatur, quam curativè, ubi jam damnum inferre paratissima est, utique perpetuo & jugi, aut sane proportionato, successu, è corpore secernatur, & excernatur.

CAPUT. VI.

*De Effectu, qui corruptibilem & corruptivarum
materiarum perpetuam expulsionem è corpore
sequitur, ipsa ejus VITA.*

QUænammodum materiarum ejusmodi corruptibilem & corruptivarum, præsentia in corpore, otiosa non est, sed actum corruptionis partim magis subit, partim diffundit; dum vero hoc agit, non modo partes corporis *solidas* in consistentia ipsa, nedum structura sua, funditus evertit: sed tanto magis pessundat *sanguineum*, utpote corruptioni huic præ omnibus aliis partibus maximè expositum. Cum verò sanguis propriè sit præcipuum illud instrumentum, cujus ope, & perpetuo transitu, ipsæ partes *solide* ab illis inquinamentis exonerari atque liberari debebant; si utique ipsemet corruptione hac prævalente subvertitur, tantò citius corrupendis potiùs quam præservandis atque liberandis partibus tunc inservit, dum corruptionem ipsis affert & infert: Ita è contra, si materiæ corruptioni proxima, vel plane jam ab eadem quadantenus corrupta, maturè per secretionem & excretionem è corpore, & ejus ad huc intemerata consistentia atque mixtione, ita ejiciuntur, ut antequam activitatem suam ad dissolvendam crasim mixtionis

nis

nis corporis exercere potuerunt, mature ita profus eliminentur; quid aliud sequi tunc potest, nisi status corporis debiti, constans & illibata *Conservatio*.

Cum itaque corpus quidem sit *mixtum*, sed constet tamen mixtione adeo valde *corruptibili*, ut magna hæc *corruptibilitas*, propriè pro primaria mixtionis ejus affectione recenseri debeat: actibus vero illis, *motu* sanguinis perpetuo circumpulsorio, & sub hoc fientibus *secretionibus & excretionibus*, in integritate sua conservetur, à corruptione præservetur, & perpetuo refarciatur atque reparetur: dilucescit hinc evidenter, quod hic nobilissimus effectus propriè sit illud quo corpus *novam specialissimam affectionem & conditionem* nanciscitur, speciali nomine summo jure meritoque insigniendam. Hoc nomen est illud jam antiquitus formatum atque impositum, VITA: Et illud quod hoc nomine designatur, est *conservatio hæc, mixtionis præcipuè corporis à principio & rpori in habitante, non manifestò corporeo, per actum etiam in se incorporeum, nempe motum in genere, secretiones verò & excretiones in specie*. Et hac ratione habemus denique conceptum realem de Corporis VITA, quid sit *formaliter*, quodnam habeat *subjectum*, quod *objectum*, quæ *instrumenta*; quam differentes sint considerationes corporis ut *mixti simpliciter*, in hoc statu summe *corruptibilis*: & *vivi*, hoc ipso actu, quamdiu ille nempe perfecte continuat, ex se & citra violentas causas externas, incorruptibilis, sed ad quamlibet durationem (exceptis violentis causis) apti, nisi Benedicto Creatori placuisset, ipsi activitati istius Agentis, quod Actibus suis, nempe Motibus, VITAM administrat, certos terminos ponere, intrà quos hanc suam Energiam sensim consumendo, denique in quietem desinat, adeoque Corpus suum corruptibilitati suæ iterum transmittat.

F I N I S.



Ūa 5316 ⁵/_—

ULB Halle
001 500 139

3




sb

110A







B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

12

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

De
V I T A.Quam
IN ALMA REGIA ET ELECTORALI
FRIDERICIANARECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO.**DN. FRIDERICO
WILHELMO,**REGNI BORUSSIAE ET ELECTORATVS
BRANDENBURGICI HEREDE, &c. &c.

P R A E S I D E

DN. GEORGIO ERNESTO STAHLIO,
MED. D. ET PROF. PUBL. ORD. h. t. ACADEM.
PRO-RECTORE ET FACULT. DECANO,**PRO LICENTIA,**Summos in ARTE MEDICA Honores
& Privilegia Doctoralia adipiscendi,*Add. April. Anno M DCCI, Horis ante- & pomeridianis,*
Publicæ Eruditorum disquisitioni submittet**GEORGIUS WILHELMUS BEYERUS,**
Jenensis.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
Typis Johannis Jacobi Krefbii, Acad. Typogr.